

# IN SPHÆRICVM INSTRUMENTVM PRO- LEGOMENA.

**D**E signis & nominibus illorum, quæ apud diuersos autores sparsim memorata sciremus, uisum fuit initio, & priusquam ad demonstrationem usus instrumenti nostri accederemus exponere, non inutilem studiosis, necq; ingratā operā impensuros nos arbitrantes, si quali cœli quādam historiam percurrissemus, ad cœli templa iter demonstrantes. Non tamen animus tulit curiose omnia quæ ueteres, maxime Græci, tradidissent, colligere, sed tantum nomina signorum, & sicuti uideretur res postulare, occasionem nominis expōnere placuit. Ordiemur autem non ut Aratus, ab illis stellis, quæ circa polum arcticum ursarum imagines designant, quod illi aptissimum fuit, quo rectius cōsequentia expositionis seruaretur. Sed nos Zodiacum primum explicabimus, quo quidem loco, & quid polum uocemus, & quomodo Sphæra distingui soleat, & quare illæ stellationes, id est, ἀστέρια signa dicantur, præfari placuit.

Sphæram intelligimus globum, id est, corpus rotundum & solidum. Veteres autem quo circūvolutionē cœli melius declararent, sic proposuerunt, uerti & circum agi illud tanq; in axe rotā, eminentias aut̄ quasdam axis utrinq;, hoc est supra ac infra nos, aut ab utroq; latere, si forte ita cadat situs terræ, polos, id est, uertices nominarūt. Qui quidem in mundo intellegentur, & ē quorum depressione aut exaltatione omnis uarietas syderum subiectis terris nasceretur. Ad hunc modum exempla sunt globorum constituta, quibus quæ supra fiunt à nobis repræsentarentur.

Polum quidem, qui nobis attollitur, Boreum uocamus, quoniam ad eam uergit cœli regio, unde Aquilo flat, qui est græca uoce Βορρᾶς. Sed & septentrionalis & Arcticus uocatur à stellis siue simulacro ursæ. Sunt autem stellationes signa nominata, quod priscorum diligentia per stellarum positus notauerit certas effigies & formas animalium, & aliarum rerum, de quibus omnia coeli loca nota compartaq; haberi possent. Latine autem statuae, & quæcunq; ad aliquam similitudinem rerum natura- lium arte sunt expressa, signa uocari solent.

Sed quia proposuimus etiam distinctionem Sphæræ, sciendum Arcticum polum includi circulo, qui ab illo uocetur: Sicut & oppositus huic ac ea de re Antarcticus appellatus, & νότιος, id est, australis, & ipse suum circulum habet. Proximus autē supra nos quidem ab Arctico describitur circulus æstiuus, qui Cancri dicitur, quia Cancri locum attingit, quem ad locum Sol ubi peruenit, nō pergit ulterius diem producere. At proximus infra ab Antarcō, Hibernus dicitur & Capricorni. Nam Capricorni locum ubi attingit, eo cum Sol peruenit, definit imminuere spacia dicrum. Medium sphæram æquinoctialis secat intrapolos. Græci uocant à die ἡσπερινόν, nam qua parte sui per signiferum transit, eam cum Sol est ingressus, dies noctesq; ex æquantur, unde æquator dictus. Atq; hi sunt παράλιοι, id est, ut uocant, æquidistantes. Præter hos circulos, qui paralleli intelliguntur in sphæra, duo etiam alij per hos omnes ducti, & polos transeūtes, Coluri dicti sunt, hi designant Solstitij & Brumæ ac æquinoctij initium, nam ubi altero locus Cancri & Capricorni abscondit, ibi Solstadium & Brumam incipi notatur. Similiterq; altero æquinoctiorum duplex principium designatur, id est, geminum punctum sectionis signiferi & æquinoctialis. Nomen habent ex eo quod utili sint, necq; unquam dimidiati conspiciantur.

Ducitur autem per æquinoctiale signifer, qui græcis est ξωμακός & ζωοφόρος obli-

15 iij que